VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
16 B
9



12
13
K
19

Digitized by Google

Philippi Ant.i de Romanis

Digitized by Google

ARS SALVTIS,

SIVE

INSTITVTIO PERFECTE VIVENDI,

In gratiam sodalium Congregat. B. V. Annunciatæ in Colleg. Flor. S. I.
iterum edita,

Et Sanctiſs. D. N.

CLEMENTI IX.

PONT. OPT. MAX.

Inſcripta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Coloniæ, Romæ, & Florentiæ 1667.
Ex Typogr. S.M.D. *Super. perm.*

12. 16. B. 9

Digitized by Google

SANCTISS., & BEAT. P. ac D.

CLEM. IX.

P. O. M.

AVGVSTIN. COLTELLINVS
S. P.

OPus latina, & vernacula lingua Alex. VII. s.m. acceptum tibi etiam ęquali pietate, & pari eruditione admirando, inſcribitur B. P. vt Arte tam feliciter probata, qua ipſe Saluti suæ conſuluit, tuæ quoq; feliciſſime, ac diutiſſimæ orbe plaudente proſpicere queas. Accipe igitur P.O.M. ea, quã re, & nomine profiteris clementia, libellũ in tui gratiam recusum; meque ore cordis ſanctiſſimos pedes tuos humillimè oſculantem, Academiamq; meam summo B. Tuæ pręſidio commendantem, humaniter excipe; atq; vt de te pręconceptæ opinioni, digna tuis animis praſtando, in omnibus reſpondere poſſis, ad multos annos viue, & vale.

Florentiæ 20. Septemb. 1667.

D. Vincentio Perono VI. Proconſ.

D. Gabrieli Stroze
D. Bartbolomeo Gherardino
D. Ioanni Antonio Anſaldo
D Petro Licinio Serrato — *Conſolibus*
D. Bernardo Verdio
D. Florindo Formiglio
D Gabrieli Bartolono
D. Camillo Boncbriſtiano
D Ioanni Baptiſtæ Tozio Prouiſori
D. Philippo Danzio Camerario
D. Iacobo Bindio Cancellario

Inſignis, & Venerabilis Collegij Iudicum, & Notariorum Ciuitatis Florentiæ.

Auguſtinus Coltellinus S. P.

VIta breuis Excell. DD. artes, quas profitemini longæ; quibus, & ſi quis vniuerſum mundum lucretur, animæ ſuæ verò detrimentum patiatur, quid illi proderit?

rit? Vt igitur Vobis tanta librorum, qua theoricorum, quà pragmaticorum mole preſſis, ne dicam obrutis, ſuccurram, libellum Principibus, ſummiſq; Viris acceptum offerre decreui; in quo omnia, quæ ad ſalutem conducunt, quaſi in breuiario continentur. AEqui, igitur, boniq; facientes animum aduertite, & compendiaria grandis itineris inuenta, (Chriſto in ſanctiſs. sui Sanguinis miraculo Collegio veſtro commendato fauente) recta pergite ad sanctam ciuitatem; in quà tandem aliquando ſit in pace locus noſter, & habitatio noſtra in æternum, & vltra. Fiat, fiat.

Ingenuis,& religioſis Adoleſcētibus

Petro Antonio Alberthio Præfecto.
Alex. Bonaccurſio Pinadorio) *Adſiſtētibus*
Io: Gaetano Tornaquincio
Canonico Zenobio Librio à ſecretis; cæteriſque Sodalibus Congregationis B. M. Virginis Annunciatæ, in Collegio Florentino S. I.

AVGVSTINVS COLTELLINVS
Veram ſapientiam ad ſalutem.

EN vobis optimi Adoleſcentes Artem artium, nullis ſophiſmatum technis decipientem, & ſcientiam ſcientiarum, non vanam, per quam multi pereunt, ſed verbo veritatis inhęrentem, quæ regiam viam,per quam itur ad vitam ſine erroris periculo monſtrat. Hæc in gratiam ſodalitatis elapſis annis Romæ recuſa, nunc denuo me editionem curante typis mandatur, Vobiſque tamquam ius in eà per fratres quæſitum habentibus inſcribi-

tur,

tur, commendatur. Vobis inquam quibus arctiſſimo caritatis vinculo, me deuinctum profiteor, memor illius temporis, quo admodum adoleſcens pio adſcriptus ſodalitio ſtatis, ſolemnibuſq; precationibus interfui, adſtiti, præfui; Et non ſemel Eccleſiaſtæ partibus functus ſum, vt ſacræ diſſertationes meæ etruſco ſermone conſcriptæ, & iam publici iuris factę teſtantur. Accipite igitur religioſiſſimi ſodales artem mole quidem paruam, ſed vſu magnam; breuem vtpote vitæ accomodatam, ſed in quà nihil optare, aut ei addere poſſitis, niſi praxim, cujus experimentum, non periculoſum, ſed tutum, præſentaneum, iucundum: mementote tamen occaſionem præcipitem poſitam in momento, à quo Æternitas pendet, quod ſi feceritis, non erit iudicium difficile de eà amplectenda. Omnia autem benè, & ex votis cedent, ſi ex Præceptorum veſtrorum ſanctiſſimo Inſtituto illa A.M D G. dirigetis, atq; ſub eorum clientela, & patrocinio ſemper manebitis. Præcipuè autem Vener., &

erud. P. Glareæ noſtri, quem non ampliùs peregrinum, ſed ciuem, non minus incolatu, quam beneuolentia iuuat appellare, dignum profectò, quem mutuo ſemper amore proſequamur. Is actiones veſtras hortando præueniet, diriget; inſtando proſequetur, vt vberior virtutis fiat cum exercitatione prouentus; meique amantiſſimus curabit, vt munuſculum hoc æquibonique faciatis, nullumque veſtrum patietur abſentis fratris obliuiſci; ſed animo ſacris veſtris adſtantem, viuum, morientem, defunctum vnanimi precatione ſemper iuuabit: Quod & ego pro tenuitate mea præſtare conabor, vt pro inuicem orantes, tandem ſaluemur in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Amen.

Florentiæ 20. Septemb. 1667.

Ad

Ad Illuſtriſſ. Dominum
AVGVSTINVM COLTELLINVM
I. C., & Academiæ Florentinæ
III. Conſ.

ARTEM SALVTIS EDENTEM

Epigramma.

Plures ingenij fœtus, quos ante dediſti
Splẽdida doctrinæ ſunt monumẽta tuę.
Quàm tibi ſit Pietas, & honeſtas publica
cordi
Teſtatur, luci quod modo reddis opus;
Qui ſecreta velit cognoſcere ſenſa libelli
Lector, inocciduas accumulabit opes;
Hoc monſtrante viam, Vitę, Mortiſque
viator,
Prõptius excurret grande Salutis *iter.*
Dignus es ad longum viuas qui Neſto-
ris æuum,
Soſpite te Virtus, Relligioque vigent.

Angelus Donius.

ARTIS RATIO, ET DIVISIO.

ET ſi non ignorem, beneuole Lector, plurima merito à doctis, pijſq; Auctoribus exigi, ad vitam perfectè, & ex virtute traducendam: quia tamen præceptorum multitudo ſæpe ſolet confundere, ſubinde etiam abſterrere diſcendi cupidos; ſatiùs me facturum exiſtimaui, ſi totam illam Artem ad tria potiſſimum capita reuocarem: ad puritatem Conſcientiæ, puritatem Intentionis, & Conformitatem voluntatis noſtræ cum diuina; *per quę cum arctiſſimè fini noſtro, ideſt, DEO coniungamur; & in ea coniunctione omnes aſſerant conſiſtere perfectionem hominis Chriſtiani; non video quid amplius poſſit deſiderari.*

Nam in primis per puritatem Conſcientiæ *remouemus impedimenta omnia tanto fini contraria; iniquitates ſcilicet, quas* Iſaias *dicit parietum inſtar diuidere inter nos, & DEVM noſtrum, & auertere, ne abeamus poſt tergum DEI noſtri: per* puritatem *vero* intentionis *iam ad DEVM conuerſi, dùm illi placere contendimus, vtimur inſinuatione*

qua-

quadam, & quodam veluti vſu familiaritatis ambimus coninnctionem; quam deniq; perficit Conformitas *illa* humanę voluntatis cum diuina. Verè, *inquit melliſluus Doctor*, ſpiritualis ſanctique cōnubij contractus eſt ille. Parùm dixi, contractus: complexus eſt. Complexus planè; vbi idem velle, & nolle idem vnum facit ſpiritum de duobus *Per illā igitur Cōformitatē anima noſtra ſit quodammodò* Sponſa *ſui Conditoris, quæ puritate Intentionis exhibuit reuerentiam* Filiæ, *& puritate Conſcientiæ demonſtrauit* Ancillæ *fidelitatem*.

Præterea tribus iſtis capitibus planiſſime tenentur tres viæ, Purgatiua, Illuminatiua, & Vnitiua; quibus paſsim aſſerunt nitendum eſſe ad perfectionem. Nam vt de prima, & tertia nihil dicam, quas ſatis patet conſiſtere in puritate Cōſcientiæ, & Conformitate illa voluntatis humanæ cum diuina; Illuminatiua maxime requirit perfectam Chriſti Domini imitationem: quid vero tota vita ſua Chriſtus Dominus ſpectauit aliud, quā gloriam DEI Patris? vnde illæ voces: Non quæro gloriam meam, *&*: Gloria mea nihil eſt.

Deniq; hac in Arte æmulatus ſum partitionem boni, quod, teſte Philoſopho, omnes appetunt; vt illius ſpecie captus animus tanto ardentius virtutem (aliàs horridam vulgò aſperamq;) adamaret, & ſub honeſto puritatem Conſcientię, ſub vtili puritatem Intentionis, ſub iucundo Conformitatem illam complecteretur. Quid enim honeſtius, quàm habere Conſcientiam non tantum ab omni peccati macula, ſed etiam nube paſſionum immunem? quid vtilius, quam puritate Intentionis, continua gratiarum, glorięq; incremẽta minimis etiam actionibus promereri? quid denique iucundius, quam inter tot animæ, corporis, fortunarumq; incommoda, conſtantem, & infractum, in diuinæ prouidentiæ ſinu, velut aſylo quodam ſecuriſſimo, conquieſcere? vt meritò mihi videatur ille, qui in illis exercuerit ſe ſeriò, etiam in hac miſera vita horum omnium genere abundare, & prægustare delicias æternę illius beatitudinis, ad quam tam facili, & ſecuro itinere contendit. Hęc itaque Artis ratio eſt; nunc ad Praxin progredior.

PRAE-

PRAECEPTVM I.

PRAXIS PVRITATIS CONSCIENTIÆ.

PVritas illa conſiſtit in duobus. 1. Vt malè patrata rectè expientur. Vt expianda, quantum fieri poteſt, non patrentur.

Primum fit *Contritione*, & *Confeſſione*.

Contritionis conditiones ſunt, vt ſit dolor, & deteſtatio peccati contra ſummum bonum, & ſuper omnia amabilem Dominum commiſſi, cum firmo propoſito illud non ampliùs committendi, & prima data occaſione per confeſſionem expiandi. Atque ad illud remedium confugiendum eſt, quàm primùm aliquis aduertit ſe peccatum commiſiſſe: tùm, ne callum obducamus in ſcelere; tum, nè creſcat Sathanæ vis & dominatus in animum; tùm

tùm maximè, ne caſu aliquo Mors nos adoriatur imparatos.

Confeſſio autem *his præceptis conſtat*. 1. vt ſit *accurata*, præmiſſo diligenti examine Conſcientiæ. 2. *dolens* per Contritionem, aut ſaltem Attritionem. 3. *clara*, ſine ambagibus, palliationibus, excuſationibus inutilibus. 4. *integra*, adiecto numero peccatorum, & circumſtantijs neceſſarijs, quæ aut ſpeciem mutant, aut valdè aggrauant. 5. *accelerata*: quia ſicut faciliùs curantur vulnera recentia; ſic animus ſtatim à peccato pœnitens. 6. *ſatisfactoria* adhibitis Indulgentijs ad redimendas pœnas; quarum illa maximè metuenda eſt, ne propter peccatum non rite expiatum, Deus iterum peccare permittat.

Secundum obtinent hæc Media. I. *Manè breuis, ſed ſeria reflexio rerum omnium per diem agendarum*; præuidendo peccandi occaſiones, & fortiter decernendo, iſto die non peccare, etſi machinis omnibus, Dæmon, Caro, Mundus conſpirarent. Et quis eſt, qui etiam in grauiſſimis ten-

tentationibus, & occaſionibus aper-
tiſſimis, vno ſe ſaltem die continere
non poſſit? atqui tota vita noſtra
dies vnicus eſt: vti hodiernus, ita
craſtinus, ita tertius dies ſunt. Si
hodierno te continere potuiſti, quid
ni èt craſtino? quid ni èt tertio? vt
malè mihi ſapere videantur, qui
difficultates ſuas, & tentationes in
menſibus, in annis numerant; &
quia tam longam victoriam deſpe-
rant, primo ſtatim die turpiter ſuc-
cumbunt. Viuant hodie, hodie vin-
cant, cras iterum, ſi vixerint, victuri:
ita diei vnius vita bona, menſes, &
annos omnes, & totam vitam bo-
nam efficiet. Atque iſtud non so-
lùm in vitiorum fuga; sed in virtu-
tum etiam exercitatione plurimum
valet, vt decernamus iſto ſaltem die
nos fore pios, humiles, iniuriarum
patientes, pauperibus miſericor-
des, &c. maximè ſi alijs, atque alijs
motiuis quotidie ſpiritus reſuma-
mus. Hodie in honorem Dei no-
ſtri Creatoris, hodie in memoriam
benigniſſimi Redemptoris, hodie
in laudem Virginis Matris, Cuſto-
dis

dis Angeli, aut aliorum Sanctorum, quibus continget nos peculiariter eſſe deuotos: item ad malum iſtud à nobis, vel ab alijs auertendum: ad virtutem vel gratiam hanc, vel illam nobis, aut alijs impetrandam; vt in tanta malorum ſegete, vel bonorum indigentia, nouæ rationes deeſſe non poſſint. Moleſtas verò illas Diaboli ſuggeſtiones: *Ergo nunquam ſenſualitati tuæ indulgebis? ergò hæc ſemper patière?* ſimiliáq; generoſo contemptu retundamus: *Non indulgebo hodie, hodie patiar.*

II. *Aſſidua meditatio Nouiſſimorum,* mortis incertæ, iudicij ſeueriſſimi, & pœnarum æternarum: quæ ſingula ſi rite perpendantur, facilè nos à peccatis cohibebunt. Si enim peccandi cupiditate accenſo Lictor aliquis denuntiaret, iam iam moriendum eſſe, aut adeundum illico tribunal, vbi de capite ferretur irreuocabilis ſententia, ſine dubio extingueretur omnis ille ardor libidinis; neque iam de ſcelere, ſed de vita, de ſalute cogitaret. Atqui moriendum nobis eſt, ſiſtendi ſumus

Iu-

Iudici terribili, & fortaſſe hoc ipſo momento, quo de ſcelere deliberamus: vellemus iſtud feciſſe morituri? Pœnæ nos expectant æternum luendæ: has vnius momento voluptatulæ mercabimur? At non moriar hoc momento, inquis. Fortaſſis, inquam, moriere: plures hac ſpe deluſos hauſit Infernus, & perijſſe ſic ſemel, æternum eſt. Et quid ſi hoc peccato tandem, vt Scripturæ loquuntur, *impleamus menſuram noſtram*, ideſt, ſi fortaſſe peccatum vltimum, poſt quod Deus, qui hactenus cætera diſſimulauit, ſtatuerit illico nos punire? aut ſaltem denegare pœnitentiæ locum? Qui enim pœnitentibus promiſit veniam, non promiſit peccantibus pœnitentiam. Inſanam ergò peccandi temeritatem ſaluberrimo tam certorum periculorum metu frenemus.

III. *Memoria præſentiæ* DEI, qui non tantùm eſt ſpectator noſtrarum actionum, ſed etiam Iudex, & Vindex ſeueriſſimus. Nec hic opus eſt imaginatione; ſed ſufficit viua fides, qua credimus DEVM ſic eſſe vbiq;

vt

vt nullus angulus, nullæ latebræ tam ſint abſtruſæ, quas non immenſitate, & omnipotentia ſua intimè præſens impleat, iuxtà illud Dauidis: *Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades*; & illud Apoſtoli: *In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus*. Qua fronte igitur, coram & in oculis tantæ Maieſtatis, audebimus ea perpetrare, quæ coram hominibus non auderemus? Aliquam prętereà vim addet Angelus Tutelaris, quem DEVS perpetuò nobis voluit aſſiſtere, veluti domeſticum Pędagogum; vt eius moti reuerentia, prauas animi motiones compeſcamus.

IV. *Fuga occaſionum peccandi*. Qui enim amat periculum, peribit in illo: & qui etiam in ſicco parum fortiter ſtamus, quantùm poſſumus recedamus à lubrico. Inter has autem numero, *primo* prauorum, & corruptorum hominum ſocietatem. Nam à conuerſantibus ſumuntur mores, & vt quædam in contactos corporis vitia tranſiliunt, ità animus

ma-

mala ſua proximis tradit. Diligenter ergò attendamus in primis cum quo hominum genere ineamus familiarem conſuetudinem; deinde, ne vnquam cum ſuſpecta perſona verſemur ſine arbitris: tam, vt conſulamus conſcientiæ, quam famæ noſtræ; denique, ſi ciuilitas aliqua, aut neceſſitas nos cogat ad inuiſendas eas perſonas, quarum aut aſpectus, aut congreſſus familiarior emollire poſſet in vitium animos noſtros, fiat id præmiſſo forti decreto, DEVM non offendendi. *B. Borgia* adhuc Dux Gandię in ſimilibus occaſionibus cilicio ſe præmuniebat. *Secundò*, recenſeo inter occaſiones nimiam ſenſuum libertatem, maximè oculorum: feneſtræ enim illi ſunt, per quas Mors ingreditur, teſte Ptopheta; & qui quodlibet, videt ſæpe, quod non licet, appetit. Miſeris iſtiuſmodi caſibus plenæ ſunt hiſtoriæ. Neque nobis blandiamur, ſi liberę conuerſationi, & oculorum curioſitati indulgentes nullis videamur prauis motibus agitari. Etiam motus nullus ſentitur arce-

cuniculis ſuffoſſa, ſuppoſitoque puluere: ſed ſi vel vnica accedit ſcintilla, quanto fragore arx tota à fundamentis euertitur? Ita ſi Dæmon admoueat fomitem illum concupiſcentię, qui in nobis nunquam prorſus extinguitur, actum eſt, perijt Caſtitas. Imò ſtratagema Dęmonis eſt, principio non commouere; vt illa animi quiete decepti, paulatim auſu temerario nos in maiora pericula ingeramus.

V. *Fuga otij*: ad quod proderit habere totius diei actiones ſic ordinatas, vt ſine graui neceſſitate ordinem illum non perturbemus, *Laborantem*, aiebant olim rerum ſpiritualium Magiſtri, *Dæmon vnitus, mille tentant otioſum*. Iuuabit etiam habere in promptu aut genus aliquod exercitij, aut ſtudij, quo vehementer delectemur, & abſorbeamur quodammodò; vt in tentatione difficili totum animum, & potentias omnes eidem applicemus, à peſſimis ſuggeſtionibus abſtractas; aut immergamus nos moleſtę alicui cogitationi de priuatis, & domeſti-

ſticis difficultatibus. Illa enim etſi animum cruciat, tamen citrà periculum occupat.

VI *Lectio librorum piorum*, quos Confeſſarius approbauerit, aut præſcripſerit; eaque 1. *attenta*, reiectis curis diſtrahentibus. 2. *deuota*, interpoſitis ſubinde pijs ad DEVM affectibus. 3. *practica* per applicationem ad mores, & vſus noſtros; vt alij legant in vita noſtra, quicquid nos legimus in libris.

VII. *Quotidiana Sacri auditio*, cum reuerentia, & deuota, feruentique attentione: cum enim Sacrificium ſit propitiatorium; ſiue ſatisfactorium, extinguit peccatorum reliquias, ſiue in hac vita, ſiue in Purgatorio luendas; & cùm idem ſit impetratorium nullo faciliùs exercitio, quicquid volemus, obtinebimus à DEO. Præmittitur autem optimè cęteris actionibus: quia iure ſuo primitias diei ſibi DEVS vendicat; &, quia quęrentibus primum regnum DEI, cętera adijciuntur: feliciori nimirum, & faciliori ſucceſſu comparantur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIII. *Examen quotidianum*, generale, & particulare. *Generalis partes* ſunt, gratiarum actio; petitio luminis: diſcuſſio cogitationum, verborum, & operum contra DEVM, proximum, & ſeipſum, procedendo per diei, & actionum ordinem, vt nihil nos fugiat, quo DEVM offenderimus; deinde dolor & deteſtatio, cum firmo propoſito emendationis; tandem deprecatio. *Examen particulare* conſtat iiſdem partibus; niſi quód ſolummodò verſetur circa diſcuſſionem, aut vitij particularis, cuius expunctioni laboramus; aut virtutis alicuius, quam nobis familiarem conamur reddere; vt diligenter non tantùm aduertamus, ſed etiã ſcripto annotemus, in vitio, numerum erratorum; in virtute, actuum: vt tandem facta collatione vnius diei cum altera, agnoſcatur profectus aut defectus. Circa vitia autem illa primò inſtituetur, in quę & frequentiùs labimur, & maiore noſtro periculo, & ſcandalo proximi. Porrò vix vllum hoc vtroq; Examine medium eſt efficacius ad purgandam ani-

animam: per Generale enim agnoſcuntur vitia, eorumq; radices, quę Particularis ſtudio paulatim euellantur.

IX. Suadere etiam quotidie *breuem aliquam Meditationem*; quòd per illam acquiratur guſtus rerum ſpiritualium, & Apoſtolus aſſerat: *Spiritu ambulantem deſideria carnis non perficere*. Eſt autem, vt breuiſſimè dicam, *Meditatio*, conſideratio, affectuoſa, & practica materię determinatę, & bene pręparatę, ad deteſtationem peccatorum, virtutum acquiſitionem, & DEI amorem ordinata. Dixi 1. *affectuoſa*: vt illam diſtinguam à ſtudio, quod ſolùm ſpectat illuſtrationem intellectus; meditatio verò intellectus illuſtratione vltrà nititur ad excitandam, & inflammandam voluntatem bonis affectibus. Dixi 2. *practica*: nimirum vt ad mores, & vſus noſtros applicemus. Neque id tantùm in genere: v. g. ero patiens; ſed in particulari, hanc iniuriam, hunc contemptum patiar. 3. *materię determinatę, & pręparatæ*; ne per incertas cogitationes va-

vagetur animus. Determinari autèm poteſt ſecundùm ſeriem eorum, qui Meditationes conſcripſere; pręparabitur verò veſperi ante ſomnum, digereturque in partes, ſeu puncta; pręuidendo etiam, ad quos potiſſimùm affectus conniti quis velit. At *pręparatio proxima* vocatur: qua meditaturus ſe primò collocat in pręſentia DEI ſui; deinde facta breui reflexione punctorum meditandorum, & imaginatione Myſterij propoſiti, lumen ab eo poſtulat, & gratiam, vt cum fructu illud opus peragatur.

X. *Frequens vſus Sacramentorum Pœnitentię, & Eucbariſtię*; vt ex vtroque, tamquam è vaſis pretioſiſſimis, hauriantur medicamenta, animę neceſſitatibus accommodata: pręſertim verò robur ad reſiſtendum Diabolo, & conatibus eius. Nam pęnitentia iacentem in pedes erigit, & panis ille cęleſtis confirmat cor hominis. *Frequens*, inquam. Vel enim peccauimus, vel non. Si non peccauimus; iam digni ſumus, qui veſte nuptiali induti accumbamus

epulo

ꝑpulo diuiniſſimo. Si peccauimus; ndigemus Confeſſione, ne diutiùs ſerpentem foueamus in ſinu; quam quam ad incrementum gratiæ, & donorum ſupernaturalium, etiam vtiliſſimum ſit venialia, in quæ quotidie labimur, peccata confiteri. Et cur in cute curanda tantoperè ſimus intenti, vt ne minimam quidem in manibus, aut vultu maculam toleremus; vt continuis alimentis reficiamus corporis vires; & patiamur interim nobiliſſimam hominis portionem, animam ſcilicet noſtram ſordibus execrandis infectam ſordeſcere adhuc, nec niſi rariſſimè cibo tam neceſſario refocillari? At ne frequentior vſus abuſum inducat, faciatque vt remiſsè, & ſine debito feruore accedamus ad tanta Myſteria; continuò alijs, atque alijs motiuis vrgeamur, vt in fine primi Medij ſuggerebamus.

XI. *Cultus Beatiſſimę Virginis MARIAE*, quam Eccleſia, & ſancti Patres appellant Aduocatam peccatorum. *Tu es*, inquit S. Auguſtinus, *Spes vnica peccatorum, per te ſperamus*

 ve-

veniam delictorum; & S. Bernardus: *Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo; cogita MARIAM, MARIAM inuoca*; Et ſingulare præſidium intuenda Caſtitate, plures ſe teſtantur expertos, qui peculiari affectu, Deiparæ Virginitatem, & immaculatam eius puritatem coluerunt. *Bernardinus* verò *Realinus* ab ipſa Virgine edoctus eſt, vt aduerſus libidinis impetum hoc ſe clypeo muniret: *Per ſanctiſſimam Virginitatem tuam, ò puriſſima Virgo MARIA emunda carnem meam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*. In reliquorum cultu Sanctorum, maximè Tutelaris Angeli, magna quoque fiducia collocanda eſt.

XII. Eligatur deniq; *vir prudens, & pius*, cui non tantùm peccata in confeſſione aperiantur, ſed etiam affectiones, tentationes, pericula; vt is tantò ſecuriùs nos inſtruat, & ad eam perfectionem, quam optamus, deducat; cuius etiam conſiliis ſeriò,

& hu-

& humiliter obtemperemus neceſſe eſt.

ORATIO.

Clementiſſime Deus, ego miſer peccator, & immundus accedo ad thronum gratiæ, & miſericordiæ tuę: non in alio fiduciam habens quã in illa; vt per illam in Sanguine Filij tui dilecti laues omnes immunditias meas; & ſi non mereor, quatenùs ego defeci miſerere, quatenus tu me feciſti: operi manuum tuarũ porrige dexteram. Nonne ſicut lutum feciſti me? Quid à luto aliud, ò Deus meus, expectare poteras quã ſordes? Deinde, nonne in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea? Quid mirũ, ſi ita factus, ita conceptus, propria tandẽ malitia vehementer auxerim immunditiam meam? Heu! fateor, vt ſus lota in volutabro luti; ſic ſordibus ſuis delectabatur anima mea, & fugiebat à te, & derelinquebat te fontem aquæ viuæ. Tu quidem, ò bonitas infinita, maculam originalem eluiſti lauacro Baptiſmatis, & paratus fuiſti, quandocunq; confiterer aduerſum me iniuſtitiam meam actualem, remittere

impietatem p·ccatorum,& mundare me; ſed an id fecerim corde ſatis contrito, & humiliato, tu ſolus ſcis, qui ſcrutaris corda, & renes. Debuerat eſſe vt mare contritio mea, vt diluerentur omnes immunditiæ meæ; vt vbi abundauerat delictum, ibi abundaret & lacryma: ſed cor meum luto mollius ad nequitiam, aruit tanquam teſta ad pœnitentiam; vt meritò verear, non ſatis eſſe mundatum, niſi tu, DEVS, miſerearis mei, ſecundũ magnam miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum deleas iniquitatem meam. Prætereà, etſi ſordes illas elueris balneo pretioſiſſimi Sanguinis Filij tui, nondum tamen ſatis purgatus ſum; quandiu adhuc ignorantias meas fortè meminiſti: quam diu ab occultis meis non mundas me, Domine, & ab alienis non parcis ſeruo tuo: quandiu adhuc fædatur anima mea imaginibus, & ſpeciebus execrabilibus antiquorum peccatorum meorum, & nouorum ſeminibus: quam diu ſuperſunt habitus, & conſuetudines prauę, quæ velut nubes denſiſ-
ſimæ

ſimæ comprehendunt me, & impediunt, ne videam te bonum meum: quamdiù viget tanta in intentionibus meis tortuoſitas, in affectibus carnalitas, tanta curioſitas in ſenſibus, leuitas in ſermonibus, vanitas in actibus, tanta rerum cœleſtium incuria, terrenarum ſolicitudo, æternarum contemptus, humanarum reſpectus: niſi ampliùs, ò Domine, laueris me ab iniquitate mea, & cor mundum, non dico innouaueris in viſceribus meis; (numquam enim ſatis mundum fuit in conſpectu tuo) ſed creaueris potenti virtute tua, qui ſolus potes mundum facere de immundo conceptum ſemiue. Purifica, ò fons & amator puritatis, per dilecti Filij tui Sanguinem, per infuſionem Spiritus ſancti cor, & corpus meum, ſenſus, ſermones, & actus meos; vt nihil in me ſit, quod æternæ pulchritudini tuæ diſpliceat, immenſam bonitatem, & amabilitatem tuam offendat. Malo millies, & millies mori, quàm iterum peccando fœdari.

IACVLATORIAE.

Cor mundum crea in me DEVS, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis: ne proijcias me à facie tua. & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.

Ne memineris, Domine; iniquitatum noſtrarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ.

Adiuua nos, DEVS ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris.

Ab occultis munda me, Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Delicta Iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis; vt non confundar.

Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

Ne permittas me, Domine IESV per peccatum ſeparari à te.

Ne ſinas, ò bone IESV, & tu beatiſſima Virgo MARIA, vt hoc ſcelere me obſtringam.

Domine vim patior; reſponde pro me.

PRAECEPTVM II.

PRAXIS PVRAE INTENTIONIS.

PRiuſquam ad praxin veniamus, erit operæ pretium diſtinguere vitioſas intentiones à bonis, bonas a puris, lutum ſcilicet à ſcoria, ſcoriā ab auro; vt tantò ſecurius ſit nobis iter, ſi non tantùm ſciamus, quo tendendum ſit, ſed etiam quos declinare errores oporteat.

In primis *Intentio vitioſa* eſt corū, qui actionibus ſuis non aliò collimant, quam vt videantur ab hominibus; illis placeant, ſibi complaceant; qui vitia cauent, ne notentur infamia, ne damnum aliquod in re familiari patiantur: qui virtutes exercent: ne ceſſiſſe ſui ſimilibus videantnr; vt ad opes, ad honores, ad magnam ſui apud alios exiſtimationem, iſtis quaſi gradibus aſcendant.

Quales meritò *Dauid* vocat *filios hominum graui corde, & diligentes vanitatem, & mendacium*; vt qui depreſſis in terram animis tantùm ſpectent humana, & falſa.

Deinde, *bona* quidem *intentione* feruntur, qui diuinæ vindictæ metu a vitijs abſtinent; qui ſpe gloriæ cęleſtis ſe virtutibus exercent, vt aiebat ille: *Verebar omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquenti*; & alter: *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes, propter retributionem*; multum tamen abſunt ab ea puritate, ad quam niti debemus, dum ſe, & bonum ſuum magis, quàm DEVM eiusue gloriam ſpectant. Tametſi vt ferocibus adhuc equis frænum, & calcaria rectè adhibentur; ita nondum ſubactus animus tamdiu hiſce ſtimulis premendus ſit, donec promptum ſe ſentiat ad obſequia DEI, propter DEVM. Iſtis adnumerari poſſunt, qui ſiue in vitiorum fuga, ſiue in virtutum exercitatione potiſſimum intendunt conſcientiæ tranquillitatem, & neſcio quod ſolatiolum internum,

quod

quod à rectè factis oriri ſolet.

At *Intentio*, quæ *pura* eſt, ſic tendit in DEVM, vt ab illa nihil omnino quæratur, quam DEVS ipſe, eiuſque diuinæ voluntatis beneplacitum; vt placeat, tantæ Maieſtati; vt eius honor augeatur. Nihil de mercede cogitat; quia maximam credit eſſe mercedem, placere DEO: nec tamen illam amittit, ſed auget, quando non ſpe mercedis, ſed ſtudio placendi operatur. His poſitis venio ad Praxim.

I. In Communione, cùm DEVM noſtrum præſentem complectimur, conſecremus illi quicquid ſumus, aut poſſumus, animam, corpus, fortunas, officiorum dignitatem; proteſtando, velle nos omnia impendere ad maiorem ipſius vnius gloriam, & honorem, deteſtando, & abnegando, quicquid humani, quicquid proprij inſinuaret ſe, quod ad illius obſequium, & beneplacitum dirigi non poſſet. Et quid magnum facimus, ſi omnia impedimus ei, à quo omnia accepimus, & qui totum ſe tam miſericorditer in Eucha-

chariſtia nobis impendit?

II. Quotidie manè, poſtquam prævidimus res omnes agendas, cogitemus ad hoc vitam nobis diuinitus conceſſam, vt eo ſaltem die illam DEI obſequijs, & gloriæ ſemel seriò impendamus, quam toties hactenus, & tam ſtudiosè conſecrauimus Mundo, Carni, & Dæmoni. Offeramus ergò omnia, vt ſupra.

III. Idem faciamus per diem ante nobiliores, & maioris momenti actiones: maxime in aditu negotij alicuius vtilis vel glorioſi; ne hac vel vtilitate, vel gloria abrepti, à ſcopo nobis propoſito aberremus. Neque curandum eſt, etſi ſpecies illa gloriæ, vel vtilitatis ſæpius ſe ſe ingerat; repellatur his S. *Bernardi* verbis: *Nec propter te cœpi, nec propter te deſinam*: DEO meo laboro, illi ſit gloria, & laus.

IV. Inter agendum ſubinde DEVM præſentem, & intentum operi noſtro tenera quadam affectione alloquamur. *Fieri ne poteſt, o immenſa bonitas, vt ego te tantilla diuinæ tuæ placeam Maieſtati? Quis ego ſum, &*

quod

quod opus manuum mearum, vt eo tu, DEVS meus, delecteris? Vtinam millies, & millies perfectius tibi deſeruirem! Hæc ſimiliàque verba in officio noſtro nos non tantùm continebunt, ſed etiam inflammabunt, ad perfectius, & puriùs operandum; ne quid negligentià noſtra deſit, quod tantæ placeat Maieſtati.

V. Et quia ſæpe aliquid vanæ complacentiæ nobis ſurrepit ex felici ſucceſſu actionum noſtrarum: intenti ſimus, vt ſtatim ſubſternamus diuinæ gloriæ, quicquid humanæ laudis ex rectè factis poſſet nobis accedere: & ſicut nihil habemus, quod non acceperimus: ita nihil ſit, quod non reddamus ei, à quo accepimus, id eſt DEO, dicamúſque: *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

VI. Subinde nos ipſos percunctemur: *Quid intendo his ſtudijs, cogitationibus, occupationibus meis? iſta ſeruitute? iſtis obſequijs? iſto labore? Quid ſpecto?* An opes? An honores? bona ſunt, ſed incerta, ſed fallacia, ſed peritura. An Principum fauo-

rem? ah! vitro fragilior eſt: dùm maximè ſplendet, frangitur; magis lubricus eſt, quàm anguilla: dum teneri putatur, elabitur. Inſanus ſim, ſi ſudore tam diutùrno, tam conſtanti, tam graui, perſequar rem tam breuem, tam fragilem, tam leuem; cùm ijſdem impenſis mercari poſſim bona ſolida, ſecura, æterna. Cur tantùm terrenis inhiabo cæleſtium capax? cur contendam placere hominibus, cùm poſſim placere DEO meo? cur ſtudebo creaturæ, cùm poſſim Creatori? inuenire poſſum gratiam (& qualem!) apud DEVM: quid de humana ſum ſolicitus? Profectò ſi iſtis attenderent illa aulicæ libertatis mancipia, quæ *Seneca*, ait ne ſuis quidem occupationibus laborare, ad alienum dormire ſomnum, ad alienum ambulare gradum, ad alienum comedere appetitum, viuere vitam vix vlla parte ſuam, non toto fructu miſerrimæ iſtius conditionis priuari ſe paterentur, neque aliquando ſeris, ſed ſerijs lamentis fruſtra reuocarent ætatem fideliori magiſque grato Domino conſecrandam:

dam : ſed omnia ad DEVM referentes, maximum laborum præmium ab illo ſecuri expectarent.

Porrò vt actiones omnes faciliùs ad DEVM dirigamus, attendendum eſt, eas aut eſſe neceſſarias, aut liberas. Neceſſariæ ſunt, quas naturæ, quas familiæ, quas ſubditis, quas dominis debemus: liberæ, quas arbitrio noſtro citra vllam neceſſitatem ſuſcipimus. Hæ ſi honeſtæ ſunt, quemadmodum eſſe oportet, ſi Conſcientiæ puritatem amamus, facilè ad DEVM fontem honeſtatis dirigentur, & neceſſariæ maiori quodammodò iure ad eum pertinent, vt ad naturæ omniſque ſubiectionis, & dominij auctorem. Itaque ſic naturam, ſic familiam, ſic ſubditos curabimus, vti res curæ noſtræ commiſſas à DEO. Maioribus verò obſequemur, tamquam à DEO præpoſitis; vt in omnibus DEVM reperientes, in eum potiſſimum intendamus oculum intentionis noſtræ, vt licèt plura ſint obiecta, circa quæ operamur vnicus tamen ſcopus, in quem collimemus, ſit DE-

VS,

VS, eiuſque gloria, & beneplacitum. Ad hoc etiam proderit attenta *conſideratio finis* ſui, & omnium creaturarum: creauit enim DEVS hominem non ad diuitias, ad honores, & voluptates, aut ad creaturam quãcumque aliam, vt in ea conquieſcat, eiuſque fruitione ſe felicem, & beatum exiſtimet; ſed omnia propter ſemetipſum operatus eſt, vt nimirum homo DEVM, ſuum Conditorem, laudet, & glorificet corde, & opere, omnia ad maiorem ipſius gloriam, & laudem dirigendo in hac vita, vt tandem eo frui poſſit in altera: per totam æternitatem: creaturas verò reliquas idcirco condidit, vt homo eatenus ijs vteretur, quatenus iuuant ad faciliorem finis illius, de quo diximus, conſecutionem. Vnde ſequitur in primis, in vſu creaturarum habendam potiſſimùm rationem Creatoris, veluti Largitoris benigniſſimi; deinde inuerti Conditoris ordinationem, quotieſcunque creaturæ ad alios fines vſurpantur. Et nonne pudendum eſt, hominem iſtis omnibus

ſu-

ſuperiorem (*omnia enim ſubiecisti ſub pedibus eius*) ijs fœdè ſe ſubſternere, ijs famulari, eas complecti tanto animi impetu, planè quaſi non creaturæ propter ipſum, ſed ipſe propter illas exiſteret? An non meritò inſanire illum diceremus, & fauore indigniſſimum, qui famulum, ſibi Principis iuſſu, & ſtipendijs inſeruientem, alia, quam ad Principis obſequium, ratione vſurparet? hanc nos inſaniam quotidie ludimus, quando diuini muneris, & noſtræ conditionis immemores, aliud ſpectamus quam DEVM.

ORATIO.

CONcede mihi, quæſo omnipotens, & miſericors DEVS, quæ tibi placita ſunt, ardenter concupiſcere, prudenter inueſtigare, veraciter agnoſcere, & perfectè adimplere. Ad laudem, & gloriam Nominis tui, ordina ſtatum meum, & quod à me requiris, vt faciam, tribue vt ſciam, poſſim, & velim: & da exequi, vt oportet, & expedit ſaluti.

luti animæ meæ. Via mihi, quæſo, ad te ſit tuta, recta, & conſummata, non deficiens inter proſpera, & aduerſa; vt in illis non extollar, & in iſtis non deprimar; vt in proſperis gratias tibi referam, & in aduerſis ſeruem patientiam: de nullo gaudeam, vel doleam, niſi quod promoueat ad te, vel quod abducat à te: nulli placere appetam, vel diſplicere timeam, niſi tibi. Omnia in charitate da facere, & quod ad cultum tuum non pertinet, quaſi mortuum reputare. Actiones meas da peragere non ex conſuetudine, ſed ad te referre cũ deuotione. Vileſcant mihi omnia tranſitoria, & chara ſint mihi omnia tua propter te, & tu, DEVS, pluſquã omnia. Tędeat me gaudij, quod eſt ſine te; nec aliquid cupiam, quod eſt extra te; Delectet me omnis labor, qui eſt pro te: & tædioſa ſit mihi omnis quies, quæ non eſt in te. Frequenter da mihi, dulciſſime Domine, cor meum ad te dirigere, & defectionem meam, cum emendationis propoſito, dolendo penſare. Fac me DEVS meus, humilem ſine fictio-
ne,

ne, hilarem ſine diſſolutione, triſtem ſine deiectione, maturum ſine grauitate, agilem ſine leuitate, veracem ſine duplicitate, in te ſperantem ſine præſumptione, caſtum ſine corruptione, proximum corripere ſine indignatione, & diligere ſine ſimulatione, ipſumque ædificare verbo, & exemplo ſine elatione, obedientem ſine contradictione, patientem ſine murmuratione. Da mihi, Domine DEVS, cor peruigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio: da immobile, quod nulla deorſum trahat indigna affectio: da inuictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla ſibi vendicet violenta delectatio: & da rectum, quod nulla ſeorſum obliquet ſiniſtra intentio. Largire mihi, dulciſſime DEVS meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam tibi placentem, perſeuerantiam te dulciter, & fiducialiter expectantem, & fiduciam te feliciter amplectentem. Da tuis pœnis configi per pænitentiam, tuis beneficijs in via vti per gratiam, &

tan-

tandem gaudijs tuis in patria frui per gloriam. Amen.

IACVLATORIÆ.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti hoc opus aggredior.

Ad maiorem DEI gloriam.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, &c.

Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Soli DEO honor, & gloria in ſæcula ſæculorum.

Benedictus ſis, Domine, in firmamento cęli, laudabilis, & glorioſus in ſęcula.

Benedicam Dominũ in omni tempore ſemper laus eius in ore meo.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & vſque in sæculum.

Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in DEO ſalutari meo.

Sanctificetur nomen tuum, Deus meus.

PRAE-

PRAECEPTVM III

PRAXIS CONFORMITATIS VOLVNTATIS HVMANÆ CVM DIVINA.

Conſiſtit in his.

I. Vt quis ſincerè, & cordatè, minimùm quoties communicat, conijciat ſe in diuinæ prouidentiæ ſinum; non tantùm permittendo illi, ſed etiam committendo, vt liberrimè de nobis, deque rebus omnibus, ad nos quomodocumque ſpectantibus, de vita, de morte, de morbis, de valetudine, de honoribus, de opibus, de toto ſtatu noſtro diſponat, iuxta beneplacitum ſuæ voluntatis; *Dominus* enim *vniuerſorum eſt*; cuius dominio cum creatura nulla eximere ſe poſſit, inſana ſit, ſi velit.

II. In rebus aduerſis (nam in proſperis nemo eſt, qui non facilè acco-

commodet voluntatem ſuam ad diuinam, iuxta illud: *Confitebitur tibi cùm beneſeceris ei*) abſtineamus à querelis, & murmurationibus aduerſus DEVM, & cum *Iob* dicamus: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum*: aut cum *Heli*: *Dominus eſt; quod bonum eſt in oculis ſuis, fecit*.

III. Caueamus inueſtigare arcana DEI iudicia, cur nobis potiùs quam his aut illis immiſerit? latet enim hic occultus aliquis anguis ſuperbiæ, qua nos alijs iudicamus innocentiores: ſcit ille ſolus, qui fecit cur fecerit; imò fecit in bonum noſtrum, ſi rectè vti ſciuerimus.

IV. Vti poſſumus dilemmate *P. Franciſci Coſteri*, quo ſe in omnibus aduerſis ita ſolabatur, vt nulla vnquam animi ægritudine triſtitiaue laborauerit. Aut peccatis noſtris malum iſtud meriti ſumus, aut non: ſi meriti ſumus; cur non cum ſummo gaudio adoremus diuinam bonitatem, quæ in hac vita ſic nos expiat, vt parcat in futura? ſi meriti non ſumus; (quamquam de ſe quis

id

id dicat?) ampliſſima iterum ſeges offertur lætitiæ: quod eo nos tractet modo, quo Filium ſuum dilectiſſimum; & per momentaneum hoc, & leue tribulationis genus, æternum gloriæ pondus operetur in nobis. *P. Sotuellus* vir iuſtiſſimus, hiſce verbis animum ſuum componebat: *DEVS nouit, cur moleſtiam hanc permittat: vel enim, vt auertat grauius malum; vel vt conferat magnum aliquod bonum: vtut eſt habeo quod mihi gratuler, & agam gratias Deo meo.*

V: Humana interim media negligenda non ſunt; ſed ſine anxietate, & animo ſui potente, & tranquillo, curanda: vbi enim animus paſſionis alicuius impetu in alterutram nimium abripi partem ſe ſinit ſperari hæc ſancta Conformitas vix poteſt. Porró frænum, quo compeſcatur ille impetus, inſinuatur paulò poſt.

VI. Orare quidem poſſumus, vt diuina bonitas, & bonum nobis conferat, & malum auertat; ea tamen ſemper adiecta conditione, vt non noſtra voluntas, ſed illius fiat, non

ſicut

ſicut nos volumus, ſed ſicut ipſe.
Imò perfectius foret, ſi nihil vnquam à DEO directè peteremus; ſed imitaremur pias ſorores, quæ de Lazari fratris ægritudine ſolicitæ, nihil aliud ad Chriſtum perſcripſerunt, quam: *Ecce quem amas, infirmatur*; reliqua eius arbitrio bonitatique permittentes. Ita nos: *Ecce Domine, quem amas, hanc iniuriam, hos dolores, hæc aduerſa patitur: hac ope, his donis, hoc ſolatio indiget*, certi ſecurique, quòd ille, qui amat meliori prouidebit modo, quam ſuggerere illi poſſemus.

VII. Si ſubinde ſenſerimus in re ardua, & perdifficili rebellionem aliquam voluntatis noſtræ, diuino beneplacito repugnantis, imaginemur DEVM ipſum, aut Chriſtum Dominum, viſibiliter & in forma aſpectabili nos hoc ferè modo alloquentem. *Accipe hoc, fili, de manu mea, hoc ego tibi mando, & mitto; hoc volo, hac hora, hoc modo facias, aut pattare: hunc morbum, hanc anxietatem volo, vt nunc amore mei perferas; in hoc officio miniſterioue volo mihi*

de-

deſeruias. Hac enim praxi difficultas omnis lenietur; quin imò beatos nos exiſtimabimus, quòd iſta nos gratia dignetur, vt ſua manu calicem ſuum nobis propinet.

Porrò iſta, de qua loquor, Conformitas, his potiſſimum principijs innititur. 1. in agnitione diuinæ ſapientiæ, & bonitatis. 2. in confeſſione cæcitatis propriæ. Quia enim cæci ſumus, & bonorum noſtrorum ignari, ſæpe bonorum ſpecie magis capimur, quam veris bonis, & puerorum inſtar, noxia appetimus, iiſq; adhæreſcimus, cum ſummo ſalutis periculo: at DEVS, quia ſapientiſſimus, vera bona ſecernit à malis: & quia optimus noſtrique amantiſſimus eſt, diſponit omnia ſuauiter ad vtilitatem, & ſalutem noſtram immortalem, modo nobis quidem incognito, & ſubinde, ſi carnem conſulas, aſpero, ſed ſemper proficuo, & qui ſi à nobis cognoſceretur in hac vita, non modò non affligeret, verùm etiam cum ſummo guſtu ſuauitudinis accenderet in amorem tam prouidi, benignique Domi-

mini: ſicut futurum eſt in altera vita, vbi clarè intelligentes ſuauem ordinationem mediorum, quibus nos iſta bonitas ad ęternam felicitatem deduxit, pro hoc morbo, pro hac iniuria, & contemptu, pro iſta bonorum iactura, pro iſtis denique, quę tantopere iam nos affligunt, malis, immortales DEO gratias referemus.

Proderit etiam, vt quis ſe, & ſua conſideret, non tamquam res ſuas, ſed alienas, nempe Domini DEI, à quo eas commodato accepit; ita tamen vt illic ius ſibi reſeruauerit, de ijs, vti ſuis, quandocumque libuerit, & quomodocumque diſponendi; vt in earum iactura dicere cum *Iobo* poſſimus: *Dominus abſtulit: ſicuti Domino placuit, ita factum eſt.*

ORATIO.

DEVS meus, amor meus, abſit, vt quod tu vis, ego nolim; aut quod tu non vis, velim ego. Tua voluntas, mea voluntas: imò

iam ampliùs mea non eſt; quia tua eſſe cœpit: imò tua iam mihi ſequenda eſt: quia mea eſſe cœpit, idem ego velle debeo, quod tu; & verò etiam, Domine, volo. Vis me ægrotare? volo. Vis me depauperari? volo, tabeſcere? volo, ſolasijs deſtitui? volo, aduerſis plurimis exerceri? volo, mori etiam? èt hoc volo. Vis me cœlo adſcribi? volo quam maximè: inferis addicere? ah bone IESV! vt hoc velles, volebam ego, & merebar; vt ego hoc nollem, volebas tu, & merebaris. Atqui ſi fieri poſſet [vt ſanè non poteſt] horum alterutrum, aut ſanctiſſimam voluntatem tuam irritam eſſe, vt ego beatus ſim; aut me damnatum eſſe, vt ſanctiſſima tua voluntas rata ſit, proclamo: melius eſt damnari me, & ſeruari, quod tu vis ò DEVS. Sed ò bonitas, mortem meam, ſcio, non vis, qui Filij tui mortem ideò volebas, vt poſſes non velle meam. Fiat igitur voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

O DEVS meus, fiat! Illi committo omnia tum priuata, tum publica; quia ſcio ibi curam eſſe de omnibus:

neque me conturbabit, quicquid ſiue in publicis, ſiue in priuatis acciderit; ſed in omnibus acquieſcam ſanctiſſimæ voluntati tuæ: hæc erit refugium, & ſolatium meum. Amen.

IACVLATORIAE.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

Sicut fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat.

Domine, quid me vis facere?

Paratum cor meum, DEVS, paratum cor meum.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac.

Sicut Domino placuit ita factum eſt.

Sit nomen Domini benedictum.

Ecce DEVS, Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo.

Iube Domine, quod vis; & da perficere, quod iubes.

CONCLVSIO.

HAbes, beneuole Lector, Artem perfecte viuendi, non tam à me deſcriptam, quam olim præſcriptam à Spiritu ſancto per os Regij Prophetæ: Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & perſequere eam. *Diuertit enim à malo, quiſquam puram ſeruat conſcientiam: cùm nullum peccato peius ſit malùm: facit bonitatem, qui puritate Intentionis bona non tantùm facit optima; ſed etiam illa; quæ vix boni nomen merentur, bona efficit. Inquirit verò pacem, & perſequitur eam, qui arbitrio diuino ſe conformat, & in illius diſpoſitionibus ſuauiſſimè conquieſcit. At ergo ſecura eſt; quam paucis idcirco tradidi; quia melius exercitio quam verbis diſcitur. Qui ingenij tantùm cauſſa hanc excutient, dicent deeſſe plurima: qui voluntatem operi ad-*

moue bunt, ſufficere teſtabuntur! virtutum illi aliarum catalogum requirent; hi in duabus exercebunt omnes. Artem tamen fateor nondum abſolutam. Tu vbi vſum adieceris, abſolues: id tibi animitus voueo.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

CVM vita hominis Chriſtiani vel actiua, ſit vel contemplatiua (mixta enim ſub ſimplicibus continetur) vtriuſque deſcriptionem Artem Salutis profitentibus ſubiungere viſum eſt ex D. Haymone Epiſcopo Halberſtattenſi. De varietate librorum, ſiue de Amore Cęleſtis Patriæ *lib. 2. Cap. 53. & 54.*

DE ACTIVA VITA.

ACtiua vita eſt, ſtudioſum Chriſti famulum iuſtis inſiſtere laboribus, & prius quidem ſe ipſum ab hoc ſęculo immaculatum custodire

dire, mentem, linguam, manum, ac membra corporis cætera ab omni inquinamento culpæ tentantis continere, ac diuinis perpetuo ſubiugare ſeruitijs. Deinde etiam proximi neceſſitatibus iuxta vires ſuccurrere, eſurienti cibum, potum ſitienti, algenti veſtitum. Miniſtrando egenis, vagoſque in domum recipiendo, infirmum viſitando, mortuum ſepeliendo, eripiendo inopem de manu fortioris eius. Egenum, & pauperem à rapientibus eum, eruendo, erranti viam veritatis oſtendendo, ac cæteris ſe mancipando fraternæ dilectionis obſequijs, inſuper, & vſque ad mortem pro iuſtitia certando.

DE CONTEMPLATIVA VITA.

Contemplatiua vita eſt, charitatem quidem, & proximi totamente retinere, ſed ab exteriori actione quieſcere, ſoli deſiderio Conditoris inhærere, vt nihil agere libeat, ſed calcatis curis omnibus ad videndam faciem ſui Creatoris animus inardeſcat,

ſcat, ita vt iam nouerit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totiſque deſiderijs appetere illis hymnidicis Angelorum Choris intereſſe, admiſceri cœleſtibus Ciuibus de ęterna in conſpectu Dei incorruptione gaudere.

EX EODEM IBIDEM
Cap. LVII.

DE COMPVNCTIONE CORDIS.

COmpunctio cordis eſt humilitas mentis cum lacrymis exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij. Illa eſt conuerſis perfectior compunctionis affectio, quæ à ſe deſideriorum affectus repellit, & intentionem ſuam toto mentis ſtudio in Dei contemplationem defigit. Hæc enim eſt homini baptizato vera compunctio cordis, magna agere, & humilia loqui: iuſtè agere, & ſuper peccatores timere, ac tremere. Sicut enim ignis omne animę vitium perurit, & adimit, ita compunctio cordis

quau-

quantacumq; repererit mala abſterret vniuerſa, & penitus delet. Concupiſcentiarum flammas ſi inuenerit vt fluuius inundans extinguit, & enecat. Curarum multitudines, & perturbationes ſi videat, vt flagello quodam exturbat, & effugat, & procul eſſe à domicilijs animæ iubet, ac ſicut puluis non poteſt ſtare ante faciem venti, ita nihil malarum cogitationum in anima reſidere poteſt vbi cordis compunctio adfuerit.

CAP. LVIII.

QVOD DVO SVNT GENERA COMPVNCTIONIS.

DVo namque genera Compunctionis quibus ſemetipſos fideles in ara cordis immolant. Quia nimirum Domini ſitiens anima prius timore compungitur poſt amore. Prius enim ſe in lacrymis afficit, quia dum malorum ſuorum recolit, pro his pati ſupplicia æterna pertimeſcit. At dum longa mæroris anxietate fuerit formido conſumpta quædam iam

de

de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amore cœleſtium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat nè duceretur ad ſupplicium poſtmodum flere amariſſime incipit, quia differtur à Regno. Contemplatur etenim mens qui ſint illi Angelorum Chori, quæ societas Beatorum Spirituum, quæ Maieſtas ęternæ Viſionis Dei, & amplius plangit, quia à bonis peremnibus deeſt, quam flebat prius, cum mala æterna metuebat. Vtramque autem noſtræ compunctionis hoſtiam gratanter accipere dignatus eſt Chriſtus, qui & pro peccato lugentibus, atquę afflictis clementer errata dimittit, & pro ingreſſu vitæ cæleſtis tota mentis intentione æterna ſuæ viſionis luce reficit.

***

SYNOPSIS MIRACVLI
Vrbis noſtræ

In ædibus D. Ambroſio ſacris facti die Sancti Florentij anno MCCXXX. ex vetuſto Breuiario, & libello m ss. deſumpta.

VGuccio ſacerdos hauſti calicis guttam negligens, vinum infundit, illa ſtatim enatat ſanguinea; Dein trifida, demum vna apparens. Horret, clamat: à Sacris virginibus ampulla miniſtratur, in quam liquor transfunditur. Biduum hæret; Epiſcopum Ardingum adit; Clerus connocatur. Sacellanus ad ſanctimoniales mittitur, vaſculum petit, impetrat, atque ſanguinem in carnem, vinum in aquam, veluti roſaceam, reperit conuerſa; ad Præſulem defert; humor in via areſcit: Caro pondere librata ſuo nullibi phialam tangit. Mirantur omnes, monentur, dimittuntur. Antiſtes vitrum reddere exoratur, detrectat: inſtat Diui Ambroſij feſtus dies, ad eum legantur

Cę-

Cęnobitæ Franciſcani, qui miraculum, populo plaudente, ſolemniter reportant. Epiſcopus in ſomnis tertium deterritus, arculam eburneam ad vaſis cuſtodiam parat donat. Poſtea, Ildebrandeſca puella noctu per Virginem matrem monita, ornatius inſtruitur tabernaculum, vbi multiforme, vt fama eſt, à credentibus conſpicitur, admirandaque per ipſum A.M. ſui G. Deus operatur; tandem Collegio noſtro Iudicum, & Tabellionum commendatur, atque diebus Dominico poſt Chriſti Corporis celebritatem, & DD. Florentij, & Ambroſij magnificè exponitur, ſemperque sanctè colitur, vt in meis commentariolis Etruſcis fuſius narratur.

*

Ad

Ad Illuſtriſſimum Dominum
AVGVSTINVM COLTELLINVM
Sereniſs. Ferdinandi Caroli fel. mem. Archiducis Auſtriæ Conſiliarium,
Conſultorem, & Cenſorem S. Officij, & Florent. Academiæ III. Conſulem
ARTEM SALVTIS
edentem.

Epigramma.

HOrrida crinales Alecto velle ceraſtas,
Eumenidũ ceſsẽt per nigra teſqua ioci.
Sat Cęlo inuiſę patuerunt ora cauernę,
Tartareo cecidit victima multa Ioui.
En trepidare iubet diræ Stygis antra libellus,
Quem renouat docti ſedula cura viri;
Qui ſapis, ò Lector, ſumas pia dona, sacrumque
Nocte, dieq; teras, nec ſatieris, opus.
ARS hæc dura, caue, videatur, & ardua; lenem
Tradentis mores, integritaſq; probant

Franciſcus Donius.

AD

AD EVMDEM.

NOxia cum Tellus culpis premeretur Auernis
Iam graue pulſauit pondus Amica manus;
Tanto etenim dãno reperit Loiola Salutis
Artẽ, quæ ſtygij frangeret ora Canis.
Artes tam dignę ſubito periere; ſimulque
Omnia ſubnatis ſuccubuere malis.
Hæc mala dum Coltellini premis Arte Salutis,
Dignus es æternis non caruiſſe bonis.

Antonius Maria Vbertinius
ex Chitignani Comitibus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google